

1448 nus fontes fuerunt, in vinculis sunt habiti. Nec ita multo post & Gotholanicam unam onerariam, oleo onustam, intercipiunt: quam in eorum invidiam, qui piraticam exercabant, negotiatoribus ademere. Cesserunt interea Sforcianis armis Derthona, Novaria, Alexandria, ac novissime Parma. Cujus victoriæ nuncium Venetas allatum, summo gaudio Patres excepere: fuitque ea læticia eo major, quod aliqua ex parte Marcelli auspiciis hujusmodi accessiones Sforcianis rebus factæ credebantur. Dederant eum Patres ex fœdere cum duobus equitum millibus, & duobus legatis Lodovico Lauretano, & Paschale Maripe-
 tro, quem Sforcia cum Alexandro fratre ad pleraque loca ultra Padum recipienda miserat. Transpadanis igitur locis magna ex parte receptis, præsidioque firmatis, Venetas ad se copias ille accersit, Mediolanumque ferocissimus dux obsidere pergit. Nunciatur interim a Lodovico Allobrogum Duce, qui cum Mediolanensibus fœdus in Sforciam percusserat, ingentem barbarorum vim ad Novariæ fines infestandos, Joanne Compensio duce, in Italiam missam. Tentaverant barbari ab initio Novariam occupare: quod quum parum illis processisset, in Novariensis agri finibus belli sedem fixere. In hos (qui numero sex millia esse dicebantur) Collio, qui cum Marcello a Venetis ad Sforciam missus fuerat, movere est jussus. Is acie cum barbaris ad Siccidam fluvium congressus, eos fudit fugavisse: ad quadringenti equites cum ipso Compensio intercepti. Ingens eo die victoria parta est, & quæ futuris Collisionis successibus postea non parum contulit. Laurentius Pisaurius per id tempus triremi una ad Babylonium Regem est missus. Legationis causam eam fuisse repetio, quod Veneti negotiatores in Syriæ emporiis parum comiter a barbaris haberri dicerentur. Duæ triremes adversus maritimos latrones, Angelo Pisaurio præfecto, per eos quoque dies in altum deductæ. Mediolanenses interim libatæ libertatis studio, plerosque viros illustres, qui rem ad Sforciam trahere dicebantur, facto repente impe-
 tu, incautos oppressere: mox populariter urbe egressi, in ho-